

tranei, nempe centurionis Matt. VIII. 10. Et sanè admirandi ratio erat, quòd plures darentur increduli in tanta Euangelii luce, quodque ex adverso alii magna fide essent præditi, cum non nisi exiguâ scintillâ illuminarentur.

3. Qui homines magis admirantur ratione *ætatis*? Resp. Infantes & pueri, quoniam pleraque iis occurrentia incognita & nova sunt ejusmodi ætati, unde *puerilis* ruditas admirationis causa dicitur Platoni in Euthydemo: *quod ille cum ob puerilem ruditatem admiratus esset &c.* Adultis & senibus pauciora occurrunt nova & inopinata, quia si non scientiam, saltem plurimarum rerum experientiam longiore vitæ tractu acquisiverunt.

4. Quinam ratione *ingenii*? Resp. Non stupidi & stipes, neque etiam acutissimi; sed illi maximè qui modestè de se sentiunt & multa sibi ignota esse credunt.

5. Quinam ratione *profectuum*? Resp. Et illi qui incipiunt artem aliquam aut scientiam addiscere, & illi qui ad interiora ejus pervenerunt: priorum exemplum habes in Abecedariis quibus literæ mira mira monstra videntur; posteriorum exem-

exem-